

ratione beatissimi Benedicti confessoris martyrumque Florentini et Hilarii consecrato concedere dignaremur, quod ipsi episcopi facerent de sua subscriptione [et] sanctorum patrum exempla sequentes roborarent^a, hoc in eodem^b privilegio statuentes, ut possessiones, quas praedictus Aurelianus abbas pro rei firmitate Remigio archiepiscopo et idem venerandus archiepiscopus omnipotenti deo et beatissimo Benedicto sanctisque martyribus obtulit vel quas in eodem loco ex donatione fidelium divina pietas augere voluerit, nullius unquam terrenae potestatis iugo subiaceant^c, sed ad solius dei servitium memoratus Aurelianus abbas et monachi sui vel successores eorum in venturis generationibus in omnibus, sicut in eodem testamento insertum est, teneant^d. Quorum iustissimis petitionibus pro divini cultus amore ac animae nostrae emolumento aurem libentissime accommodavimus et quidquid in eodem privilegio sacratissimi antistites constituerunt et subscripserunt, consentimus et confirmamus. Propter quietem quoque quae monachis utilissima est placuit etiam, ut idem monasterium unacum rebus omnibus ad ipsum locum aspicientibus more regio nostrae emunitatis defensione confirmaremus. Praecipientes ergo iubemus atque iubendo praecipimus, ut nullus iudex publicus nec quilibet ex [iudiciaria potestate nec aliquis ex fidelibus sanctae dei ecclesiae ac nostris in ecclesias et in loca vel agros seu reliquas possessiones praedicti monasterii, quas moderno tempore possidet aut quas ibi divina pietas augere voluerit, in quibuslibet pagis aut territoriis ad^e causas audiendas vel freda exigenda aut tributa seu mansiones et paratas faciendas sive fideiussores tollendos nec homines ipsius monasterii tam ingenuos quam et servos supra terram ipsius commorantes distringendos aut ullas redibitiones et illicitas occasiones requirendas ullo umquam tempore ingredi audeat et exactare praesumat, quoniam quidquid fiscus sperare poterat, pro remedio animae nostrae concedimus. Concedimus quoque mercatum annuum ibi fieri V. kal. octobris, sed et septimanale V. feria, concedimus et teloneum omne infra regni nostri spatia iubemusque, ut nullus sit exactor^f non in civitatibus non in vicis sive in portis, sed nec ex vectione navium. Sancimus denique et omnimodis statuimus, ut post praefati viri videlicet Aureliani abbatis decessum, sed et omni tempore ex se ipsis licentiam habeant eligendi abbatem, qui secundum regulam sancti Benedicti ipsi loco praeesse et prodesse valeat. Pro infestationibus vero pessimorum iniquorumque hominum quemcunque

a) 'roboraremus' A. b) Fehlt in A. c) 'subiacerent' B. d) 'teneatur' B.
 e) 'aut' A. f) 'exactor' A.